

quens ignorabat. Perdam, inquit, sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Vera sapientia perdet falsam sapientiam: et quamquam stultitia praedicationis in cruce sit, tamen Paulus sapientiam loquitur inter perfectos. Sapientiam autem non saeculi hujus, nec principum istius saeculi, quae destruitur, sed loquitur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam praedestinavit ante saecula. Dei sapientia Christus est. Christus enim Dei virtus et Dei sapientia. Haec sapientia in mysterio abscondita est, de qua et noni Psalmi titulus praenotatur, pro occultis filii; in quo omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi: et qui in mysterio absconditus erat, praedestinatus autem et praefiguratus in lege et prophetis. Unde et prophetae appellabantur Videntes, qui videbant eum, quem caeteri non videbant. Abraham vidit diem ejus, et laetatus est. Aperiuntur coeli Ezechieli, qui populo peccatori clausi erant. Revela, inquit David, oculos meos, et considerabo mirabilia in lege tua. Lex enim spiritualis est, et revelatione opus est, ut intelligatur, ac revelata facie Dei gloriam contemplemur. Liber in Apocalypsi septem sigillis signatus ostenditur, quem si dederis homini scienti litteras, ut legat, respondebit tibi: non possum; signatus est enim. Quanti hodie putant se nosse litteras et tenent signatum librum, nec aperire possunt, nisi ille reseraverit, qui habet clavem David; qui aperit, et nemo claudit; claudit et nemo aperit? In Actibus Apostolorum Sanctus Eunuchus, immo vir (sic enim eum Scriptura cognominat) cum legeret Esaiam, interrogatus a Philippo: putasne intelligis, quae legis? respondit, quomodo possum, nisi aliquis me docuerit? Ego (ut de me loquar interim) nec sanctior sum hoc Eunucho, nec studiosior, qui de Aethiopia, id est, de extremis mundi finibus venit ad templum, reliquit aulam regiam, et tantus amator legis divinaeque scientiae fuit, ut etiam in vehiculo sacras litteras legeret: et tamen cum librum teneret, et verba Domini cogitatione conciperet, lingua volveret, labiis persona-